saturauit. Cibo doctrinali / hoc est verbo predicacionis que in simplici litera potus est et in mystico intellectu cibus / sic ardenter vsa est / vt magistrum Conradum de Marburg / ceterosque predicatores Christi pedibus suis tanquam famelica / ad diuersas atque remotas staciones sequeretur. Hoc cibo sine fastidio vsa est / sciens scriptum / beati qui audiunt verbum dei et custodiunt illud. Item Non in solo pane viuit homo sed in omni verbo quod procedit [illegible]. Unde fratres quia verbum dei vita anime est / libenter / frequenter et vtiliter audiendum est. Vtiliter verbum dei audit qui corde audita retinet et opere adimplet. Quod beata Elyzabeth fecisse creditur. Cibo vero sacramentali id est corpore et sanguine Christi sancto timore et caritatis ardore saturari meruit, vt non solum sacramentum ore, sed et ipsam rem sacramenti / id est graciam spiritualem spiritu in sua + susciperet. Intellexerat enim ~~salua~~ saluatorem dixisse, caro mea vere est cibus / et sanguis meus vere est potus. Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem / in me / manet /.

+ anima semper